


# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Disputatio theologica, qua illustratur phrasis, prunarum  
capiendarum super caput osoris ad Proverb. cap. XXV  
vers. 22**

**Marckius, Johannes  
Henrici, Johann Laurentius  
Lugduni Batavorum, 1716**

[urn:nbn:de:bsz:31-130534](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130534)



60A 2691,1

EX  
BIBLIOTHECA  
ILLUSTRIS  
CAROLI HESYCHEI.  
66/72

DISPUTATIO THEOLOGICA,  
 QVA ILLUSTRATUR PHRASIS,  
 PRUNARUM CAPINDARUM  
 SUPER CAPUT OSORIS.

AD PROVERB. CAP. XXV. VERS. 22.

QUAM

FAVENTE DEO T.O.M.

SUB PRÆSIDIO

*Plurimum Reverendi & Clarissimi Viri,*

D. JOHANNIS à MARCK,

*Phil & S. S. Th. Doct. hujusque Facultatis in Illustri  
 Academ. Lugd. Bat. Profess. Ordin. ut & Ecclesie  
 ibidem Pastoris.*

Publice ventilandam proponit

JOHANNES LAURENTIUS HENRICI,

Crucenacô - Palatinus.

*Ad diem 8. Julii, 1716. ante meridiem,  
 hora locoque solitis.*


---

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud PETRUM VANDER Aa,

*Bibliopolam & Typographum Academicæ, ut & Urbis.*

M DCC XVI.



DISPUTATIO THEOLOGICA,  
*Qua illustratur phrasis, Prunarum Capienda-  
rum super Caput Osoris.*

AD PROVERB. CAP. XXV. VERS. 22.

**N**Otum non minus quam intellectu facile est Salomonis Regis Sapientissimi dictum, de *Oso* si esurierit pane ad cibum dando, & si sitierit aqua in potum ei præbenda Prov. xxv. 21. quod & Elisah à nonnullis spectasse putatur 2. Reg. vi. 22. & Paulus Christianis insinuavit Rom. xi. 1. 20. tanquam ex quo antiquissima extensio & vis Legis de Proximo Diligendo manifeste constat, contra Socinianar ejus corruptiones, dum ineptissime Grotius ponit in Evangelio præcepta, quæ olim erant consilia. Nec quidquam difficultatis deprehenditur in Altera Ratione huic Monitioni addita vers. 22. quam Paulus omisit; Et Jehovah tibi reddet, sive retribuet, pro eo scilicet bono quod osori tuo præstiteris, vel etiam pro Prunarum Acceptione super Caput ejus, tibi bona benevole largiturus, si vel osor ipse talis manserit, nec gratum reapse se præstiterit unquam. Sed ante hanc præcedit apud Salomonem Ratio alia, quæ Interpretum curam exigit, vers. 22. וְשֵׁן עַל רֶגֶל כִּי גַחֲלִי לְךָ, pro quibus LXX cum Paulo & Vulgatus habent, τῆτο γὰρ ποιῶν ἀνθερακας πρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, prunas enim congregabis super caput ejus; præscriptione etiam per has versiones facta adversus alias interpretationes, vel וְשֵׁן per fel, seu felleam iram, vel prunas accipies de super caput ejus, vel cum prunas acciperis super caput ejus, Jehovah tibi repondet, &c. de quibus cæteroquin forte cogitari posset. Quæ emblematica & parcemialis locutio quorsum maxime spectet, & quo pacto locum aptum heic reperiatur, id nunc paucis inquiremus; missis iis quæ de singulis vocibus dici ad earum illustrationem possent, & speciatim de verbo רֶגֶל, tanquam non dilatationem, quod voluit Cajetanus, sed proprie acceptionem, & metonymice positionem, exprimente, pro qua superfusionem habet Cyprianus, nisi forte magis placeat observatio nostri de Dieu, per illud ex Æthiopico usu & mente R. Nathan in Concor d. notari accensionem, uti & Leo Juda meminit incendendi.

A 2

II. Ut

II. Ut in sensum genuinum tanto facilius penetremus, non  
 inutile erit in antecessum contulisse duo alia loca, quæ aliquid ma-  
 nifestæ cognationis cum hoc nostro queant videri habere. Prior  
 est *Psal.* cxx. 3. 4. *Quid dabit tibi, & quid addet tibi lingua do-  
 li? Sagittas potentis acutas, cum prunis juniperorum.* In quibus  
 verbis non opus est, ut alloquium ad linguam dolosam ponamus,  
 & propter Verborum, יִסִּיף, יִתֵּן, Genus Masculinum, (idem  
 enim admittitur quoque nonnunquam à Nomine לִשׁוֹן, & Pro-  
 nomina heic (sunt perinde Masculina לֵךְ,) cum *Kimchio* lubintel-  
 ligamus per modum Nominativi regentis הוֹאֵר, *Deus*. Sed quod  
 ad reliqua attinet, probamus observationem unam & alteram  
*Ven. Avi Cloppenburgii*; nempe illud לֵךְ וְיִסִּיף לְךָ, *affine esse usi atque isti imprecationis formulæ, כֹּה יַעֲשֶׂה וְכֹה יוֹסֵף,*  
*sic faciat mihi Deus & sic addat; & dein, hanc imprecatio-  
 nem vers. 3. inchoatam absolvit responsio, quam statuo vers. seq.  
 quam verto, sagittas potentis acutas cum carbonibus junipero-  
 rum, ut sagittæ & carbones non sint linguæ dolosa emblemata, sed  
 representent arma irati Dei, quibus linguam & caput feriat &  
 obruat, qualis sagittarum mentio est *Pf.* v. 11. 13. 14. & carbo-  
 num *Pf.* cxl. 11. ubi quoque vers. 12. agitur de viro linguoso  
 אִישׁ לִשׁוֹן &c. Ad quæ uti in *Collat. Crit.* scripsit *Cl. de Dieu*, se  
 omnia probare, esse enim maxime apposita, nec habere quod addat, ita  
 in *Animado.* latius scripsit; *Omnes nostri Interpretes vers. 4. cum 5.*  
*sic conjungunt, ut per Comparationem sagittarum & prunarum conti-  
 neat descriptionem linguæ dolosæ, & quidam eorum interrogationem  
 vers. 3. eodem versu claudunt, alii ut Junius sine vers. 4. Omnes volunt  
 subterfieri responsionem ad quæstionem propositam, propterea ut vers. 4.  
 aptent 3. Ellipses statuere necesse habent quæ in interpretatione sup-  
 pleantur. At nulla Ellipse opus est, si dicas vers. 4. continere penam  
 linguæ dolosæ, adeoque responsionem ad quæstionem propositam, &c. Eo  
 spectare mihi videtur interpretatio LXX. τί δόσει σοι ἡ πρῶσιθείη  
 σοι πρὸς γλώτταν δολίαν; τὰ βέλη τῶ δουατῶ ἡκουμηῖα, σὺν τῶν  
 ἀνθεαζὶ τοῖς ἰενημυῖς. Quæ ad verbum & recte vertit *Vulgatus*.  
 (Etiam impersonaliter habens, quid detur tibi, aut quid apponatur  
 tibi ad linguam dolosam, &c.) Certe *Chaldeus* non aliam mentem ha-  
 buit, cujus hæc est in ea verba paraphrasis, quid dedit tibi, ὁ detractor,  
 & quid addet tibi, ὁ calumniator, lingua dolosa? Sequitur responsio,  
 sagit-**

*sagittas potentis acutas, veluti fulgura superna, cum carbonibus juniperorum, qui ardent in gehenna inferni. Quamquam non male forte addi queat, in denunciata heic linguæ dolosæ poena alludi simul ad culpam, quæ speciem emissarum sagittarum cum prunis manifeste haberet. Posterior locus est Psal. cXL. 10. 11. 12. Caput circumdantium me, molestia labiorum eorum operiet eos, demittentur super eos prunæ, in ignem cadere faciet eos, in foveas, ne resurgant, vir lingua non firmabitur in terra &c. Ubi rursum manifestus satis respectus esse videtur ad totalem perditionem impiorum per ignem super eos coelitus demissum.*

III. Juvat præterea circumspicere, quorsum ad literam phrasim nostram maxime nos ducat. Atque sic *prunæ super caput accipiendæ* nos cogitare jubent; vel de prunis aggestis de subter, ut illæ per se vel per erumpentem flammam suam supra caput ipsum ascendant tandem; vel de prunis capiti soli ita qualicumque demum modo circumpositis ut flammæ aut undique aut desuper eo emicent, ut sic ex Medicorum præscripto caput totum à variis morbis sanetur, aut ex domestica curalotum siccetur & suaviter demulceatur; vel de prunis instar lapidum in ipsum humana manu projiciendis de super aut à latere; vel denique de prunis ignium coelestium in ipsum divinitus immittendis, coll. Psalm. XVIII. 13. 14. Hab. III. 5. 2. Reg. I. 10. 12. Luc. IX. 54. &c. Quo omni modo in propria magis notione prunarum merito hæretur, nec in metaphoricos ejus vocis sensus varios cogitandos excurritur; quod alii egerunt, etiam de *pudoris rubore* dissonantes, vel de *oculorum læto fulgore*, vel de *gemmarum ornantium splendore*, vel de *cineribus super caput sparsis*, ut fieri solebat ab afflictis & poenitentibus, nec non de *calore manuum benedicentium*, aut *Solis coelitus illabentis*. Potest præterea prunarum harum *acceptio*, vel *positio*, super alterius caput accipi, ut tributa homini qui bene facit suo hosti, vel immediate magis vel mediate, vel directe vel indirecte consequenter atque etiam occasionaliter tantum, vel absolute & certo semper vel conditionate solum & hinc aliquando, vel respectu intentionis juxta opus vel ratione solius eventus; dum dubitari nequit, quin sensus vocum sit plenior, si admittatur heic acceptio prunarum immediata, directa, absoluta, & intenta ab accipiente.

A 3

IV, Post

IV. Post ista præmissa ad rem ipsam accedentes, notamus, pro vario *Prunarium*, seu *vivorum carbonum* apud *Cyprianum*, effectu eas sensum, tum malum ac tristem, tum bonum & lætum, admittere; unde sunt, quibus prior, item quibus posterior, quin & nonnulli quibus uterque hic placet. De *Prunis* nemo sane dubitet, quin adnotæ, non jam dicam rebus aliis inanimatis, sed humano capiti, illud terreant, illud vehementissimo & vere intolerabili dolore afficiant, illud decore omni privatum magnopere foedent, quin & illud tandem cum homine toto depascant, consumant, & perdant. Ad quos adeo noxios *Prunarium* effectus cum spectetur manifeste, tum in *Ignibus* à cælo delapsis, tum in duplici adducto jam *Psalmo*, ad eundem quoque heic respexerunt ab ævo *Interpretes* plurimi. Ut sensus sit, ex nostra in osorem beneficentia id fluxurum, ut, nisi ille sic respiscat, *Deus* olim graviolem de illo vindictam sumat. Labet describere quæ in hanc rem habet *Salazar*. *Græci Patres*, *Origenes*, *Chrysostomus*, *Theophylactus*, *Theodoretus*, omnes in *Paulum*, & *Imperfectus* *Hom.* xi. in *Matt.* *carbones* istos malam in partem vertunt, ac sensum verborum ad hunc modum instituunt &c. si enim ille hoc beneficio affectus non respuerit, & hostilem animum posuerit, *carbones* congeres in caput ejus, i. e. *Dei Optimi Max.* ignitam iram & indignationem in caput illius accerses. *Imperfectus* &c. congerere autem *carbones* ignis super eum quid est aliud nisi eum magis reum facere apud *Deum*? reum scil. graviorum pœnarum. *Origenes* vero sic luculentius; In quantum inimicis nostris ledentibus non solum vicem non reddimus sed & bona præstamus, in tantum pœnas eorum in *Dei* iudicio cumulamur, est enim verè iusta damnatio, si arguantur ante *Dominam* his intulisse mala, à quibus perceperint bona. Huic expositioni, inquit ipse, succensent recentiores *Pauli* interpretes, sed immerito, quia nescio an alia aptius in textum cadat. Ait enim *Salomon*, *carbones* ignis congregabis super caput ejus, & *Dominus* reddet tibi. Quod perinde est, ac si dicat, illi utique irrogabitur pœna, & tibi pro meritis præmium conferetur. Id enim contendo, præmium bene merentis de adversario ejusdem adversarii supplicio opponi, q. d. beneficia in adversarium tuum colloca, nam si hæc illius animum forte non emolliant, ipse quidem supplicium, tu vero præmium referes &c. Ad quam postreimam *Salazaris* rationem addi adhuc potest *Paulina* Connexio, quando proxime ante adducta *Salomonis* verba dixit *Apostolus* *vers.* 19. *ἡ ἑαυτοῦ ἐκδικῆ*.

δικαντες, αγαπητοι, ἀλλὰ δὲ τὸν τῆ δεινῆ, γεγραπτα γὰρ,  
ἐμοὶ ἐνδικησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει κύριος, sic de Divina  
vindieta nos prorsus cogitare etiam heic jubens. Atque sic *Ca-*  
*stalionis* paraphrasis est; *In causa eris ut Jova illum urat ac puniat.*  
Atque sic cum *Beza* nostro aliisque multis *Grotius* habet: *Appa-*  
*ret ex Proverbiorum loco, de pœna Divina agi quæ per Ignis similitu-*  
*dinem passim exprimi solet. Sensus est, si alter illa tanta tua patienti-*  
*tia ac beneficentia ad meliorem mentem revocari non potest, gravis eî*  
*impendet pœna. Dicimur facere, cui rei occasionem præbemus, ut Luc.*  
*xvi. 9. Quæ cum paulo pluribus verbis proposuisset Phil. Lim-*  
*borgius, subjecit, hanc explicationem toti seriei verborum maxime*  
*consentaneam videri.*

V. Non possumus tamen dissimulare *Rationes*, quæ contra  
*exegetis* illam secundum hunc sensum malum seu objici queunt  
seu objiciuntur. Id liquidissimum ante alia est, quod *prunarum*  
*acceptio super caput hostis* sic non competat illi qui ipsi benefacit,  
nisi mediate, indirecte, consequenter vel occasionaliter, sub con-  
ditione minime heic expressa, & quoad eventum solum absque  
ejus intentione ulla; ad qualem sensum leviozem vocum absque  
ratione satis gravi vix videtur confugiendum, inprimis propter  
specificativum illud Pauli verbum, *τὸτο γὰρ ποιῶν ἔσ.* Et du-  
bitet quisquam non absque omni specie, an tam severum Dei ju-  
diciu, quam est illud Ignis affligentis & consumentis ad perdi-  
tionem, debeat simpliciter ad eo tribui omni & singulo illi, qui est  
alterius cujuscunque *hostis, inimicus, ἐχθρὸς*, seu eum odio *habens*,  
sine addita ulteriori descriptione ulla. Sed præcipuum quod for-  
te obstat est, quod vix pro Motivo Beneficentiæ præstandæ, &  
quidem apud hominem pium, Dei timentem & proximi aman-  
tem, possit adduci tantum Oloris sui Malum, nisi sic Odium in-  
trinsecum non tantum in eo probetur sed & inciteretur. Deberet  
enim ex Charitatis Lege Damnum proximi, vel certo vel etiam  
probabiliter ex opere secuturum, me ab opere tali potius avoca-  
re quam ad illud impellere. Unde inter alios habet *Delrio Part.*  
*II. Adag. CCXLIV. Ista sententia merito solet rejici, ut non satis*  
*congrua instituto. Et Corn. à Lapide dixit; Hoc non est ad rem, &*  
*hoc intendere esset gravissimum odium. Quam notabilem diffi-*  
*cultatem ab ævo viderunt quidem, sed & tollere studerunt*  
Inter,

Interpretēs. Familiarissimum est illud, quod & à Lapide subjecit; Nisi dicas, hoc tantum ab Apostolo quasi sponte sua eventurum dici, ad consolationem iustorum patientium persecutionem ab impiis, scilicet quod impii non evadent vindictam Dei, si in malitia persistant, iustis hoc non intendentibus sed permittentibus. Verum, uti de osore quovis communiter in textu agitur, ita non tam heic est consolatio adversus malum quod patimur, quam impulsio ad bonum quod præstemus, atque à quo potius quam ab aliorum malitia id sit consecuturum, vel per quod illud sit futurum, quod phrasis nostra dicit. Quod ipsum si fuerit non evitandum quasi per ignem interitus horrendus, jam gravioris ultionis modum ex hoc dicto discere datur; unde interpretationem hanc plane alienam & deviam esse Pauli consilio &c. imo contra charitatem ita agere, notavit Pererius. Subtilior dubii hujus solutio à Patribus tradita est, quam ex Chrysostomo sequentem in modum dedit Salazar; Qui iniuriam passus est, si quando debilitatus fuerit, non ita suis propriis bonis afficitur, ut supplicio ejus per quem contristatus fuerat. Nihil enim adeo jucundum est, atque de inimico sumptum videre supplicium. Quod igitur cupit, hoc ei primum largitur, deinde postquam venenum illud obtulit, tum deinceps ad altiora hortatur dicens, ne vincaris à malo, sed vince in bono malum &c. Ad cujus discursus, apud alios quoque lecti, elucidationem, disserit tum Jesuita de communi quadam prudentiæ lege, quæ dicitur passionibus quibusdam effrenatissimis non statim valide obstitendum, sed tantisper acquiescendum & obscurandum esse, deinde enim lenius ac facilius ad rationem revocantur &c. Sed hoc ægerrime ab animo suo impetret attendens lector, ut Paulum credat ad arcendam Vindictam immediatam & longe minorem non permisisse tantum ad tempus sed & commendasse Vindictam mediatam longe majorem, quam ipse mox rursus dissuasit per illud, μή νικᾷ ὑπὸ τῆ κακῆ, ἀλλὰ νικά ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν, dum rem ipsam præstandam sane dissuadere neutiquam poterat. Quod si vero etiam illud valeret apud Paulum, difficultas in Salomonis textu maneret tamen, ubi nullum simile verbum aliud est adjectum quale apud Paulum occurrit.

VI. Quod porro attinet ad Rationes pro Exegesi illa adductas §. IV. hæ equidem non carent specie magna, sed tamen demon-  
stran-

frāndi valorem non habent. Constat enim Prunarum Effectus  
æque bonus & lætus, quam malus & tristis; unde ad emblemata  
optabile non minus quam deplorabilis rei & eventus accommo-  
dari possunt. Quod clare discas ex *Baptismo Ignis Matt. 111. 11.*  
à nobis latius exposito *EXERC. TEXT. XXVII. Part. IV.* nec non  
irrefragabiliter ex *Linguis Igneis* tempore Pentecostes super A-  
postolos missis *Act. 11. 3.* Unde circumspicere heic, ut & alibi  
semper, oportet quid in Prunis spectare seu ferat seu jubeat con-  
textus. Qui si nos alibi nonnunquam manifeste ducat, etiam per  
phrasin similem vel eandem quæ heic est, ad terrorem, dolorem,  
corruptionem, & perditionem, hic tamen ad alia omnia ducere  
potest; prout id fere in omni emblematum usu fieri solet, quæ  
modo ad hoc, modo ad longe aliud, applicare decet. Est porro  
illud levius, quod ex altero versus apud Salomonem membro ur-  
get *Salazar*, de memorata illic Retributione Domini; quasi hanc  
non apte promittere potuisset Spiritus, nisi opposita poena hosti-  
lis in nostris verbis præcessisset, tanto minus in iis cogitanda quod  
nulla prorsus Dei ulciscantis in iis mentio fiat. Ex adverso millies  
fit, ut officia urgeantur decentia, vel per solum præmium, vel per  
retributionem aliis motivis subjectam; uti se heic res bene habe-  
re potest. Nec plus roboris est in eo, quod Paulus antea Divinæ  
Vindictæ meminerit, ut à Vindicta propria avocaret, siquidem  
hanc illic vult Deo ita relinqui, ut ad eam nos cooperari pro viri-  
bus non jubeat; nec est adeo ut beneficentiam osori præstandam  
eodem modo & argumento à Divina Vindicta petito urgeat, quo  
à Vindicta propria sumenda Christianum proxime avocavit.

VII. Nescio interim, annon de *Prunis* his in Malum, longe  
tamen aliter, cogitare censendi sint primo loco Viri multi Præ-  
stantissimi, qui *Dolorem* memorant ab his admotis illatum capiti,  
per quem homo eas à se quanto cyus abjiciat. Neque enim do-  
lor cum tædio simili per se ut bonus spectari potest. Unde adver-  
sus motivum hinc petitum etiam videri potest charitas Christi-  
ana obstare, quæ à dolore & tædio inferendo abesse jubet, quod  
nec communiter ab osore adjuto exspectes. Quod si porro in  
emblemate secundum hunc modum explicando persisterent E-  
ruditi, jam Prunarum adductarum & dolorem adferentium ab-  
jectio nos duceret omnino ad beneficiorum prællitorum reje-

B

Cio.

tionem, seu ex odio præstantis, seu ex eorundem displicentia; ad quantam insaniam si iræ vel odii furor quandoque mortales abripiat, vix tamen illud, & quidem tanquam ordinarium, ab osore esuriente & sicente expectes, atque vix illud motivi rationem habeat apud vere pios & beneficos, qui non optent sane, ut beneficia sua spernantur. Sed recedunt magnopere ab instituti sui principio, atque sic simul à sensu malo, Viri Docti, quando non de beneficio sed de odio quantocyus abjiciendo differunt mox; quod utique nullatenus in hac dictione rationem Prunarum à beneficiente illatarum sustinere potest. Dum ex aduerso longè rectius ex illa hypothesi nominentur Beneficia similia, ad quæ osor se per prius accepta obligatum sit sensurus, quæque prima occasione apta & ipse sit vicissim præstiturus, ut sic eadem in perpetuum sibi non seruet, nec super se hoc sensu semper relinquat, quod speciem tum abjiciendarum quantocyus Prunarum habebit.

VIII. Ad sensum *Prunarum* Bonum directe magis veniunt alii, qui cogitant de earundem vi illuminante, excitante, impellente, emolliente, purgante, quin & calefaciente, atque accedente. Quando reperiunt heic in illis, *super caput osoris acceptis*, per collata ab altero beneficia; seu *Convictionem* ejus, tum de beneficientis amore, tum de odii sui iniquitate; seu *Affectionem* mentis validam ex ea fluentem, ut non possit non ad illa attendere decenter; seu *Impulsum* Conscientiæ potentem, ad culpæ suæ deplorationem & officiorum suorum curam, coll. *Jer. xx. 9. &c.* seu *Emollitionem* duri cordis optatam, instar ferri per ignem subacti, aut lapidis liquefcentis; seu *Expurgationem* malitiæ omnis sanctam, instar scorix in hærentis, coll. *Jes. lv. 4. vi. 6. 7. &c.* seu denique gelidi pectoris *Calefactionem* gratissimam, & *Inconsensionem*, ut flammam amoris, tum in proximum, tum & in Deum, concipiat & suo tempore emittat, coll. *Cant. vii. 6. &c.* Ex quibus exegesibus, quæ nonnullæ etiam simul consistere haud male possunt, una præ alia apta est, atque ultima forte omnium aptissima; secundum quam beneficia habebunt rationem *Prunarum*, amoris nempe conspicui, coelestis & Divini, humanis mentibus inditi, quæ *super caput osoris positæ*, per illorum collationem copiosam & manifestam, hos ad affectum mutuum & ardorem amoris similem

mitem pellent, Deo dante, utique illuc sua natura composita, prout *χάρις χάρις τρέφει*. Et debet pro ista exegesi in bonum sensum, seu una, seu altera, notari; quod per eam Sumptio Prunarum super caput hostis benefacienti ita competat immediate, directe, absolute, atque ex ipsa illius intentione; ut merito illa tanquam decens commendetur homini pio, quin & metaphoricum motivum optimum sit ad Beneficentiam osori præstendam, cum expectatione etiam ulteriori & paratiori Divinæ beneficentiæ simul promissæ. Quod si obstare putes illud, quod phrasim hæc *Prunarum super caput alicujus accipiendarum* alibi hoc sensu non occurrat, dicere licet in adversum; quod nusquam eadem prorsus legatur extra hunc textum; quod si de Prunis perditibus alibi legatur, etiam Prunæ purgantes occurrant, nec non amoris Prunæ igneæ cum flamma Jah, uti & de ardore, flamma, flagrantiaque amoris, omnes loquuntur; quod denique in monitione sua de officio decenti adversus osorem eleganter Salomon usurpaverit phrasin, quæ sensu alio malo conveniret active Osori, solito pro viribus studere perditioni alterius, ac si dictum esset, sicuti Prunas ille conatur ad exitium inferre tuo capiti, sic & tu sed alio & laudabiliori longe modo idem ages in ipsum.

IX. Est autem hæc sententia, in quam Latini Patres præcipue eunt, phrasibus tamen diversis minus vel magis clare rem exprimentes, *Hieronymus Lib. 1. C. Polag. nec non in Epist. ad Hédib. Quæst. I. Augustinus Lib. 111. de Doct. Christ. Cap. 16. & plenius Serm. CLXVIII. de Temp.* quin & inter Græcos antiquiores *Origenes in Rom. xii.* Interim deprehendimus, Recentiores quosdam judicasse, *prunas has super caput osoris sumptas, simul, sed alternative, admittere sensum bonum & malum, pro varietate personarum, in quas beneficentia nostra confertur.* Ita scilicet habet *Thomas Cartwrightus, Cantabrigiensis Theologus, à Polyandro nostro prolixè commendatus; Metaphoricum est, pro Purgatione, si sanabilis fuerit, seu minus, Consumptione, &c.* Et tendit in eandem rem, quamquam paulo aliter, *Mart. Gejerus, Celebratissimus seculi præcedentis Commentator inter Augustanos. Quin & ipse Calvinus noster, & ex eo Pareus in Prov.* Atque talem sensus conjunctionem ipse eventus videtur posse suadere,

quatenus hic semper minimè est bonus, nec beneficia correctio-  
nemoloris lætam operantur. Sed ista difficultas non est magna;  
cum verba Salomonis non tam spectent ad Eventum, quam ad  
Beneficentiæ propriam naturam, & huic convenientem benefa-  
cientis scopum, sive huic obtineat ipse sive non. Notamus vero,  
ita differentes Interpretes revera à sensu Malo Divini Judicii gra-  
vissimi in Prunis super Caput acceptis longissime recedere, utpo-  
te quas & ipsi manifeste ad collota hosti beneficia referunt;  
non sane in malum, nec in alterutrum promiscue, sed omnino in  
bonum finem. Ultra quem si ponas heic prospectum ad opposi-  
tam indurationem ipsam hominis, & pœnas gravissimas hinc ju-  
stissime secuturas, jam non poteris plenefatis evitare incommo-  
da, quæ contra primam exegesis antea fuerunt adducta §. V. Ut  
præstet in Prunarum harum sensu bono, & Effectu conveniente  
earum naturæ & accipientium piorum scopo, heic subsistere,  
absque consideratione eventus alieni, quem malitia ororis ope-  
rari posset, præter prunarum harum naturam, & accipientium  
institutum omne. Unde & Pareus ad Rom. scripsit; *Redder da-  
mnationem ejus tanto graviolem. Sed potius de utili, h. e. de corre-  
ctione adversarii, loquitur Apostolus ex Prov. xxv. 22. unde totum  
hoc præceptum citatur.*

#### ANNEXA RESPONDENTIS.

1. Ratio formalis peccati non est τὸ ἐκούριον voluntarium: licet  
peccatum tanto gravius sit, quo efficacior est peccatoris consensus. 2. In  
peccatore existit totalis bene agendi impotentia. 3. Mors eterna non  
minus pœnam sensus, quam pœnam damni infert. 4. Ex hoc misero  
peccati statu non datur effugium nisi per Christum. 5. Κοινησιον isti-  
us effugii est cor fide expurgatum, & Spiritu sancto animatum ad  
strenuam contra carnem pugnam. 6. Fide Salutari Christo semel in-  
siti, ab eo deficere nequeunt. 7. Qui de gratia Dei & remissione pecca-  
torum certi esse non tantum possunt, sed & debent. 8. Sanctificatio  
hominis non consistit in sola actu emendatione, sed in totius na-  
tura sanatione. 9. Eaque in hac vita nunquam est perfecta. 10. Iris  
fuit ante diluvium quoad substantiam & esse, at non quoad significa-  
tionem, & ut fœderis sigillum.

FINIS.



